



**J**acobus Beurlinus, pijs & honestis parentibus, in oppido Hercyniae sylue Dornstedt, natus est anno post natum Christum millesimo quingentesimo uicesimo. Hic cum prima literarum rudimenta in patria percepisset, fese ad Tübingersem Academiam contulit, atque artibus, linguis, & sacræ Theologiae magna diligentia incubuit. Itaque tandem ob singularem eruditionem Tübingeræ, sumum in Theologia gradum, quem Doctoratum uocant, consequutus est. Breui etiam sacrarum literarum professor creatus, Epistolas Paulinas, alias scripta Prophetica & Apostolica, magna dilucidate & grauitate eruditissime interpretatus est. Postea à duce Vuirtembergico, cum alijs tribus Theologis, domino Iohanne Brentio, D. Iacobo Herrbrando, & D. Valentino Vannio, Abbe Maulbrunnensi, Tridentum ad Patres Concilij instituti anno salutis humanae millesimo quingentesimo quinquagesimo primo missus est. Inde reuersus in Brussiam, ad componendam controversiam, in Iustificationis articulo exortam, iussu & mandato principis abiit, & alias multas periculosas profectiones magna dexteritate perfecit. Nam disputator acutissimus, & multis egregijs uirtutibus praeditus fuit. præterea sua uissimis moribus, modestia, & humilitate tanta ornatus, ut nemini se præferret, in alijsque longè indoctorioribus dona Dei agnosceret, ita ut cum quouis etiam pueru facile loqueretur.